



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmmæ Virtvtvm, Ac Vitiorvm , Tomus ...**

**Guilelmus <Peraldus>**

**Lvgdvni, 1585**

De secretum reuelatione. Cap. XVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46161)

dum est, qui se solus nouit. Sed in aliis verum est quod dicitur 1. Cor. 10. Non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed qui Deus commendat. Ille qui iactat se, est idolum seipsum colens, & de seipso cantans. Ipse similis est gallinae, quae postquam fecit ouum, non cessat clamare donec perpenditur, quod ouum fecit: & si ouum amittit. Sic ille qui iactat se, tacere non potest, donec bonum opus, quod fecit amiserit. ¶ Tertio potest valere contra hoc peccatum, si ostendantur mala quae ex eo consequuntur. Notandum ergo quod ex hoc peccato sequuntur iurgia. Vnde Prou. 28. Qui se iactat & dilatat, iurgia concitat. Sequuntur etiam inde odium. Vnde Sapiens: Vitiosa iactatio est, affertque audientibus non tantummodo fastidium, sed plerumque odium. Hoc tamen sciendum est quod licet viris bonis opera sua bona quandoque dicere ad Dei gloriam. Vnde 2. ad Cor. 11. dicit Paulus: Estimo enim me nihil minus fecisse à magnis apostolis. Licet etiam ea dicere ad reuelationem spei. Vnde Esa. 38. dicit Ezechias: Memento quomodo ambulauerim coram te in veritate.

*De secretorum reuelatione.*

CAP. XVII.

**A** Secretorum reuelatione debent hominem cohibere, tria. ¶ Primum est, hoc quod legitur Ecc. 27. Qui denudat arcanum amici, perdit fidem. ¶ Secundum est, quod legitur Ecc. 12. Est concordatio ad amicum, excepto conuicio & improprio, & superbia, & mysterij reuelatione, & plaga dolosa. Vnde reuelatio secreti est vnum eorum, de quibus vix fit concordatio. ¶ Tertium est hoc, quod si aliquis infamatus fuerit illa reuelatione, vix potest ei restitui damnum quod suscepit. Vnde Prouer. 28. Quae viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio citò, ne postea emendare non possis cum dehonestaueris amicum tuum.

*De peccato indiscretæ comminationis.*

CAP. XVIII.

**P**eccatum indiscretæ comminationis fugere debemus. ¶ Primo exemplo Christi, de quo legitur 1. Pet. 2. Qui cum patetur, non comminabatur. ¶ Secundo debet cohibere ab eo ut demum locum timori Dei. Vnde Eccles. 19. Corripe amicum antequam commineris, & da locum timori Altissimi. Altissimi timori datur locus, qui potius vult quod homines dimittat peccare timore Dei, quam timore humano. ¶ Tertio, quia comminationes multum offendunt hominem, & multa mala inde sequuntur. Eccel. 22. Ante sanguinem maledicta, & contumelia, & minæ. ¶ Quarto cauendum est à comminationibus, ne stultiores nos ostendam quam simus. Homo qui comminari consuevit, ostendit se stultiores rem quam sit, quia multa comminatur quae nunquam facturus sit.

Vnde